

III 118004



Missae propriae

ALIQUORUM FESTORUM,

quae in Dioecesi Labacensi celebrari solent.

FESTA JANUARIII.

DIE XIV. JANUARIII.

In festo

S. Hilarii Episcopi Confess.
& Ecclesiae Doctoris.

Missa: In medio Ecclesiae, de
Communi Doctor. cum Credo.

DIE XVI. JANUARIII.

In festo

S. Titiani Episcopi Confess.

Missa: Statuit, de Communi Conf.
Pontif.


DIE XXXI. JANUARIII.

In Translatione

S. Marci Evangelistae.

Introitus.

Psal. 138.

 ihi autem nimis honorati
sunt amici tui, Deus: ni-
mis confortatus est prin-
cipatus eorum.

Psal. ibid. Domine, probasti me,
et cognovisti me: tu cognovisti ses-
sionem meam, et resurrectionem
meam.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui gloriosa beati Marci
Evangelistae membra nobis fa-
mulis tuis revelare dignatus es:
concede propitius, ut qui ejus cor-
poris Translationem hodie veneran-
do colimus, ipsius beatitudini, te
concedente, adjungi mereamur. Per
Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetae.

Ezech. 1. c.

Similitudo vultus quatuor anima-
lium: facies hominis, et facies
leonis a dextris ipsorum quatuor:
facies autem bovis a sinistris ipso-
rum quatuor: et facies aquilae de-
super ipsorum quatuor. Facies eo-
rum, et pennae eorum extentae de-
super: duae pennae singulorum
jungebantur, et duae tegebant cor-
pora eorum: et unumquodque eorum
coram facie sua ambulabat: ubi erat
impetus spiritus, illuc gradiebantur,
nec revertebantur, cum ambularent.
Et similitudo animalium, aspectus
eorum quasi carbonum ignis arden-
tium, et quasi aspectus lampadarum.
Haec erat visio discurrens in medio
animalium, splendor ignis, et de
igne fulgur egrediens. Et animalia
ibant, et revertebantur in similitu-
dinem fulguris coruscantis.

Graduale. Psal. 44. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine.

V. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 138. Nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Alleluja.

Post Septuag. omiss. Alleluja, et V. seq. dicitur Tractus. Psal. 125. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. **V.** Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. **V.** Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. **Ite:** ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos Regnum Dei. **Credo.**

Offertorium. Psal. 18. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terrae verba eorum.

Secreta.

His, quaesumus, Domine, muneribus intende placatus, et tribue supplicatione gloriosa Evangelistae tui Marci, nos a peccatis omnibus absolvi, et coelesti gratia ditari. **Per Dominum.**

Praefatio de Apostolis.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israël.

Postcommunio.

Defecti vitalibus alimoniis, quaesumus, Domine Deus noster: ut intercedente beato Marco Evangelista tuo, quod ore sumpsimus, pure mente capiamus. **Per Dominum.**

FERIA III. POST DOM. SEPTUAGESIMAE.

In festo

**Orationis D. N. Jesu Christi
IN MONTE OLIVETI.**

Introitus. Psal. 54. vv. 5. & 6.



Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me.

Psal. 68. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. **Qui vivis.**

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Cap. 5.

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. **Quemad-**

modum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedech.

Graduale. Psal. 87. vv. 4. et 5. Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. *V.* Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio.

Tractus. Psal. 68. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. *V.* Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. *V.* Psal. 21. Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est, qui adjuvet.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 22.

In illo tempore: Egressus Jesus bibat secundum consuetudinem in montem olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, et positus genibus, orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de coelo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. **Credo.**

Offertorium Psal. 68. Salvum me fac, Deus: quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Secreta.

Hujus sancti Sacrificii meritis fac nos, quaesumus, Domine, divina institutione formatos curam orationi tam efficaciter impendere, ut Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in exitu nostro vigiles, et a culpa solutos inveniat. Qui tecum vivit.

Praefatio dicatur de Cruce.

Communio. Matth. 26. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Postcommunio.

Defecti alimonia coelesti, supplices te rogamus, Pater omnipotens, ut per Unigeniti Filii tui orationis virtutem, nos in tantis corporis et animae periculis constituti, ad coelestia regna secure pervenire mereamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate.

FERIA III. POST DOM. SEXAGESIMAE.

In festo

Commemorationis Passionis
D. N. JESU CHRISTI.

Introitus.

Philip. 2.



humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem *V.* Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti: concede propitius, ut sicut Commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Dominum.

Lectio Zachariae Prophetae.

Cap. 12. et 13.

Haec dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, et dicetur: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale. Psalm. 68. Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quaesivi, et non inveni.

V. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Isaiae 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

V. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

V. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. Cap. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in Cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui: absque misericordia quaesierunt me interficere, et non pepercerunt in faciem meam spuere: lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium, intercedente Unigeniti Filii tui Passione, vivificet nos semper, et muniat. Qui tecum vivit.

Praefatio de Cruce.

Communio. Psalm. 21. Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora sexta pro Redemptione mundi Crucis patibulum ascendisti, et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut post obitum nostrum

paradisi januas nos gaudenter introire concedas. Qui vivis.

FESTA FEBRUARII.

DIE III. FEBRUARII.

In festo

S. Blasii Episcopi Martyris.

Introitus. Eccli. 45.



tatuit ei Dominus Testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi Sacerdotii dignitas in aeternum.

Psal. 131. Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui beatum Blasium Martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius; ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. **Per Dominum.**

Lectio Epistolae beati Jacobi Apostoli.

Jac. 1. b.

Charissimi! Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi! Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre lumine, apud quem non est transmu-

tatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus.

Grad. Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 109. Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.

Post Septuag. omissis Alleluja, et V. sequenti, dicitur Tractus. Psal. 20. Desiderium animae ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. **V.** Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est operatum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Offertorium. Psal. 88. Veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in Nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, beati Blasii Martyris tui atque Pontificis dicatas meritis, benignus assume: et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Communio. Ibid. Semel juravi in Sancto meo: semen ejus in aeternum manebit, et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.

Postcommunio.

Refecti participatione Muneris sacri, quaesumus, Domine Deus noster: ut, cujus exequimur cultum, intercedente beato Blasio Martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum.

DIE VI. FEBRUARII.

In festo

S. Anastasiae Martyris.

Missa: Me expectaverunt, de Comuni Mart. non Virg., secundo loco, cum seq. Orat.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui beatam Anastasiam Martyrem tuam in flammis tibi canentem glorioso coronasti triumpho: concede, nos ejus intercessione charitatis igne ita incendi in terris; ut in coelis tuas laudes perpetuo canere mereamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Dorotheae V. M.

DIE VIII. FEBRUARII.

In festo

S. Juventii Episcopi Confess.

Missa: Statuit, de Comuni Conf. Pontif. cum seq. Orat. propria.

Oratio.

Adjuvet familiam tuam, quaesumus, Domine, sancti Confessoris tui atque Episcopi Juventii intercessio gloriosa: ut pius exorator evadat, qui tui nominis egregius extitit praedicator. Qui vivis.

DIE IX. FEBRUARII.

In festo

S. Paulini Episcopi Confess.

Missa: Statuit, de Comuni Conf. Pontif. cum comm. S. Apolloniae.

DIE XI. FEBRUARII.

In festo

Beatorum sept. Fundatorum
ORDINIS SERVORUM B. M. V.

Introitus.

Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore septem beatorum Patrum, de quorum festivitate gaudent Angeli, collaudant Filium Dei.

Psal. 134. Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam Dolorum sanctissimae tuae Genitricis per septem beatos Patres nova Servorum ejus familia Ecclesiam tuam foecundasti: concede propitius; ita nos eorum consociari fletibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis.

Si venerit in Quadr., fit commem. feriae.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Philippenses. Philipp. 3. b. **F**ratres: Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen exi-

stimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificiam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu: quae ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius: configuratus morti ejus, si quo modo occurrerem ad resurrectionem, quae est ex mortuis. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim. Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.

Graduale. Psal. 132. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. *V.* Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluja, alleluja.

V. Haec est vera fraternitas, quae vicit mundi crimina, Christum secuta est, inclyta tenens regna coelestia. Alleluja.

Si venerit post Septuag. omissis Alleluja, et *V.* seq. dicitur Tract. **Psal. 125.** Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. *V.* Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua. *V.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 12. c.

En illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi

enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Psal. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: propterea populi confitebuntur tibi.

Secreta.

Praesta nobis, quaesumus, omnipotens Deus: ut nostrae humilitatis oblatio et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum, et nos corpore pariter, et mente purificet. **Per Dominum.**

Communio. Joan. 15. Ego vos elegi de mundo, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

Postcommunio.

Quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui coelestia alimenta percepimus; intercedentibus septem beatis Confessoribus tuis, per haec contra omnia adversa muniamur. **Per Dominum.**

DIE XIV. FEBRUARII.

In festo

S. Zoili Confessoris.

Missa: Os justi, de Communi 1. loco cum com. S. Valentini M.

DIE XVI. FEBRUARII.

In festo

S. Julianae Virginis Martyris.

Missa: Loquebar, de Communi Virg. Mart. praeter Orat. sequentem.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quaeque confundas: concede propitius; ut, qui beatae Julianae Virginis et Martyris tuae solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. **Per Dominum.**

DIE XVII. FEBRUARII.

In festo

Ss. Chrysanthiani et Soc. Mm.**Missa: Sapientiam, de Communi Mm.**

DIE XIX. FEBRUARII.

In festo

S. Juliani de Bono Albergo Conf.**Missa: Justus ut palma, de Communi Conf. non Pontif.**

DIE XX. FEBRUARII.


In festo

S. Titi Episcopi et Confess.

(Dies assignata ex 4. Januarii.)

Missa: Statuit, de Communi Confessoris Pontificis praeter sequentia:

Oratio.

eus, qui beatum Titum Confessorem tuum, atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti: ejus meritis, et intercessione concede; ut juste et pie viventes in hoc saeculo ad coelestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum.


Evangelium: Designavit Dominus, ut in Festo S. Alphonsi die 9. Augusti.

DIE XXIII. FEBRUARII.

In festo

S. Petri Damiani Episc. Conf.**ET ECCL. DOCTORIS.****Missa: In medio Ecclesiae, de Communi Doct. cum Credo, et sequente Oratione.**

Oratio.

oncede nos, quaesumus, omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita

et exempla sectari: ut per terrestrium rerum contemptum, aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

DIE XXV. FEBRUARII.

In festo

S. Margaritae de Cortona.

Introitus.

Psal. 118.



ognovi, Domine, quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me, confige timore tuo carnes meas, a mandatis tuis timui.

Psal. ibid. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
V. Gloria Patri.

Oratio.



eus, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti: eadem miseratione concede; ut, quam prius errantem sectari non erubuimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Cant. 3. et 8.

Surgam et circuibo civitatem, per vicus et plateas quaeram, quem diligit anima mea: quaesivi illum, et non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciat dilectam, donec ipsa velit. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt

extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum.

V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: et deducet te mirabiliter dextera tua.

Tractus. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.

V. Ibid. Dillexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. **V.** Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna.



Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 13. f.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. Iterum simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam. Iterum simile est regnum coelorum sagneae missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi: Exhibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Offertorium. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Secreta.

Placationis Hostia, quam tibi offerimus, Domine, beatae Margaritae interveniente suffragio, optatae nobis indulgentiae plenitudinem elargiatur. **Per Dominum.**

Communio. Ibid. Dillexisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Postcommunio.

Uberes, Domine, sanctae tuae Margaritae lacrymae duritiem nostri cordis emolliant: ut per hujus virtutem Sacramenti debitas reatibus flammis incessanti fletu extinguamus. **Per Dominum.**

FERIA VI. POST CINERES.

In festo

**Sacratiss. Spineae Coronae
D. N. JESU CHRISTI.**



Introitus.

Cant. 3.

gredimini, et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo eum coronavit mater sua, parans Crucem Salvatori suo.

Psal. 8. Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria et honore coronari mereamur in coelis. Qui tecum vivit.

Et fit commemoratio feriae occurrentis.

Lectio libri Sapientiae.

Cant. 3. et 4.

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini, et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.

Graduale. Apocal. 14. Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. *V.* Psal. 20. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Tractus. Isaiae 71. Induit eum Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiae quasi sponsum decoratum corona. *V.* Isaiae 28. Corona tribulationis effloruit in coronam gloriae, et sertum exultationis. *V.* Sapient. 5. Accepit regnum decoris, diadema speciei.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum, et dicebant: Ave, Rex Judaeorum, et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis:

Ecce, adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum. **Credo.**

Offertorium. Tuam Coronam adoramus, Domine: tuam gloriosam recolimus Passionem.

Secreta.

Tuorum militum, Rex omnipotens, virtutem roboras: ut, quos in hujus mortalitatis stadio Unigeniti Filii tui Corona lactificat; consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Communio. Prov. 4. Laetare, mater nostra, quia dabit Dominus capiti tuo augmentum gratiarum, et corona inclyta proteget te.

Postcommunio.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: ut haec Sacramenta, quae sumpsimus, per sacrosanctae Filii tui coronae, cujus solemnia recensemus; virtutem nobis proficiant ad medelam. Per eundem Dominum.

In fine legatur Evang. feriae occurrentis.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAGESIMAE.

In festo

Lanceae et Clavorum

D. N. JESU CHRISTI.

Introitus.

Psal. 21.



oderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea, et sicut aqua effusus sum.

Psal. ibid. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. *V.* Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut, qui eorundem Clavorum et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis.

Et sit commem. feriae occurrentis.

Lectio Zachariae Prophetae.

Cap. 12. et 13.

Haec dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolent super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale. Psal. 68. Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quaesivi, et non inveni. **V.** Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Isaiae 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. **V.** Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum. **V.** Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. **V.** Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

 **Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.**

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui, absque misericordia quaesierunt me interficere; et non pepercerunt in faciem meam spuerre; lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Sanctificet nos, quaesumus, Domine, hoc sanctum et immaculatum Sacrificium, quod Unigenitus Filius tuus in Cruce obtulit pro salute mundi. Qui tecum vivit.

Praefatio de Cruce.

Communio. Videbunt, in quem transfixerunt, cum moverentur fundamenta terrae.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui te ipsum in Cruce holocaustum immaculatum et spontaneum Deo Patri obtulisti: quaesumus; ut ejusdem sacrificii oblatio veneranda in-

dulgentiam nobis obtineat, et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAGESIMAE.

In festo

Sacratissimae Sindonis

D. N. JESU CHRISTI.



Introitus. Philipp. 2.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, Passionis tuae vestigia reliquisti: concede propitius; ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis.

Et fit commemoratio feriae occurrentis.

Lectio Isaiae Prophetae.

Cap. 62. & 63.

Haec dicit Dominus Deus: Dicite filiae Sion, ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum:

calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non fuit, qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos indignatione mea; et detraxi in terram virtutem eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus Deus noster.

Graduale. Psal. 68. Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit: consolantem me quaesivi: et non inveni. ℣. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Isaiae 53. Vere linguae nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. ℣. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. ℣. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ℣. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.



Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum. Cap. 15.

In illo tempore: Cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum), venit Joseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit Corpus Joseph. Joseph autem mercatus Sin-

donem, et deponens eum, involvit Sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. **C**redo.

Offertorium. Ingressus Aaron tabernaculum, ut holocaustum offerret super altare pro peccatis filiorum Israëli, tunica linea indutus est.

Secreta.

Acepta tibi, Domine, sint haec munera, cui pro mundi salute grata exstitit Filii tui Passio gloriosa. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Communio. Joseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum, involvit Sindone.

Postcommunio.


Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: quaesumus; ut per temporalem Filii tui mortem, quam Mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eundem Dominum.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAGESIMAE.

In festo

**Sacrorum quinque Vulnerum
D. N. JESU CHRISTI.**

Introitus. Philipp. 2.

umiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui Unigeniti Filii tui Passione, et per quinque Vulnera ejus Sanguinis effusione humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus; ut, qui ab eo suscepta Vulnera ve-

neramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eundem Dominum.

Et fit commemor. feriae occurr.

Lectio Zachariae Prophetae.

Cap. 12. et 13.

Haec dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves, ait Dominus omnipotens.

Graduale. Psal. 68. Improperium expectavit cor meum, et miseriam; et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit; consolantem me quaesivi, et non inveni. **V.** Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Tractus. Isaiae 53. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. **V.** Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. **V.** Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra. **V.** Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam ple-

nam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remaneret in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui, absque misericordia quaesierunt me interficere; et non pepercerunt in faciem meam spuerre; lanceis suis vulneraverunt me, et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta.

Majestati tuae, quaesumus, Domine, accepta sint dona, in quibus ipsa Unigeniti tui Vulnera tibi offerimus, nostrae pretia libertatis. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Communio. Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quaesumus, Domine Deus noster: ut, qui Vulnera Domini nostri Jesu Christi hodie devote colimus; haec in nostris cordibus impressa, moribus et vita teneamus. Per eundem Dominum.

FESTA MARTII.

DIE III. MARTII.

In festo

Ss. Agapis et Soc. Martyrum.

Missa: Loquebar, Or., Secr. et Postcom. de plur. Virg., Epist. De virginibus. In Quadr. fit com. feriae.

DIE IX. MARTII.

In festo

**Ss. Cyrilli et Methodii
EPISCOPOR. CONFESSORUM.**

Missa: Sacerdotes tui, cum sequent. Orationibus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos per beatos Pontifices et Confessores tuos Cyrillum et Methodium ad unitatem Fidei Christianae vocare dignatus es: praesta, quaesumus; ut, qui praesenti eorum festivitate laetamur, ipsorum etiam meritis gloriam consequi mereamur aeternam. Per Dominum.

In Quadrages. fit comm. feriae.

Secreta.

Sanctorum Cyrilli et Methodii Confessorum tuorum atque Pontificum, quaesumus, Domine, annua solemnitas pietati tuae nos reddat acceptos: ut per haec piae placationis officia et illos beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet. Per Dominum.

Postcommunio.

Deus, fidelium Remerator animarum: praesta; ut beatorum Cyrilli et Methodii Confessorum tuorum atque Pontificum, quorum venerandam celebramus festivitatem,

precibus indulgentiam consequamur.
Per Dominum.

DIE XVI. MARTII.

In festo

**Ss. Hilarii Episc. et Sociorum
MARTYRUM.**

Missa: Intret, cum. Or. seq.

Oratio.

Beatorum Martyrum Hilarii Episcopi, et sociorum Martyrum, nos, quaesumus, Domine, festa tueantur: et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

In Quadrages. fit comm. feriae.

DIE XXIV. MARTII.

In festo

S. Gabrielis Archangeli.

Introitus. Psalm. 102.

Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psal. ibid. Benedic, anima mea, Domino et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto ejus.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui inter caeteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuae Mysterium, Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut, qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in coelis. Qui vivis.

Et fit comm. feriae occurr.

Lectio Danielis Prophetae. Dan. 9.

In diebus illis: Ecce, vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut do-

cerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadvertes sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadvertes: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursus aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.

Graduale. Psal. 102. Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. ℣. Benedic, anima mea, Dominum, et omnia interiora mea Nomen sanctum ejus.

Tractus. Luc. 1. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. ℣. Ecce concipies et paries Filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel. ℣. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. ℣. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Si hoc festum post Pascha celebretur, omisso Graduali et Tractu, dicitur: Alleluja, alleluja. ℣. Psal. 103. Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Alleluja. ℣. Luc. 1. Ave Maria, gratia

plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena! Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista saluatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria! invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce! concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce! Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce! ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Apoc. 8. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.

Secreta.

Acceptum fiat in conspectu tuo, Domine, nostrae servitutis munus, et beati Archangeli Gabrielis oratio:

ut, qui a nobis veneratur in terris, sit apud te pro nobis advocatus in coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Communio. Dan. 3. Benedicite omnes Angeli Domini Domino: hymnum dicite, et superexaltate eum in saecula.

Postcommunio.

Corporis tui, et Sanguinis sumptis Mysteriis, tuam, Domine Deus noster, deprecamur clementiam: ut sicut Gabriele nuntiante, Incarnationem tuam cognovimus; ita ipso adjuvante Incarnationis ejusdem beneficia consequamur. Qui vivis.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADRAGESIMAE.

In festo

Pretiosissimi Sanguinis D. N. JESU CHRISTI.

Introitus.

Apoc. 5.

Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens sempiternae Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus; salutis nostrae pretium solemniter cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Per eundem Dominum.

Et fit comm. feriae occurr.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Cap. 9.

Frateres! Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non

manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. 1. Joan. 5. Hic est, qui venit per aquam et Sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et Sanguine. **V.** Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua et Sanguis, et hi tres unum sunt.

Tractus. Ephes. 1. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus. **V.** Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis.

V. Rom. 3. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu. **V.** Quem proposuit Deus propitiationem in Sanguine ipsius.

Tempore Pasch. in Missis votivis dicitur: Alleluja, alleluja.

V. Apoc. 5. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus; quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Alleluja.

V. Exod. 12. Erit autem sanguis vobis in signum, et videbo sangui-

nem, et transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens. Alleluja.

Per annum dicitur Graduale 1. Joan. 5. ut supra, et omisso Tractu Ephes. 1. et **VV.** seq. dicitur: Alleluja, alleluja.

V. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. **Cap. 19.**

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit Spiritum. Judaei ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remaneret in Cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. **Credo.**

Offertorium. 1. Corinth. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?

Secreta.

Per haec divina Mysteria ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus: et super altaria tua, Domine virtutum, asperisionem Sanguinis, melius loquentem quam Abel, innovemus. Per eundem Dominum.

Praefatio de Cruce.

Communio. Hebr. 9. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

Postcommunio.

Ad sacram, Domine, mensam admissi hausimus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: Sanguis ejus fiat nobis, quaesumus; fons aquae in vitam aeternam salientis. Qui tecum vivit.

FESTA APRILIS.

DIE III. APRILIS.

In festo

S. Abundii Episcopi Confess.

Missa: Sacerdotes tui. In Quadr. fit com. feriae.

DIE XI. APRILIS.

In festo

S. Leonis I. Papae Confess.
ET ECCL. DOCTORIS.



Introitus.

Eccli. 15.

In medio Ecclesiae aperuit os ejus, et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus: stolam gloriae induit eum.

Psal. 91. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime! V. Gloria Patri.

Oratio.

Bxaudi, quaesumus, Domine, preces nostras, quas in beati Leonis Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: et qui tibi digne meruit famulari; ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Eccli. 39.

Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur.

Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum; et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae, et in oratione confitebitur Domino, et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae, et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in saeculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt Gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

Graduale. Psal. 36. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. V. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.

Tractus. Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. V. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. V. Gloria et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Tempore paschali dicitur. Alleluja, alleluja.

V. Eccl. 45. Amavit eum Dominus et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluja.

V. Osee. 14. Justus germinabit sicut lilium, et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 16.

In illo tempore: Venit Jesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos au-

tem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi; quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. **Credo.**

Offertorium. Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Sancti Leonis Confessoris tui atque Pontificis, quaesumus, Domine, annua solemnitas pietati tuae nos reddat acceptos: ut per haec pia placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet. **Per Dominum.**

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Deus fidelium Remunerator animarum: praesta; ut beati Leonis Confessoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. **Per Dominum.**

DIE XII. APRILIS.

In festo

S. Zenonis Episcopi Martyr.

Missa: Sacerdotes Dei, Evang. Si quis venit. Temp. pasch. Missa: Protexisti, Or. Deus, qui nos.

DIE XVII. APRILIS.

In festo

S. Liberalis Confessoris.

Missa: Os justi, primo loco.

Oratio.

Deus, qui nos beati Liberalis Confessoris tui glorioso patrocinio circumdas et protegis: concede propitius; ut, ejus intercessione munimur in terris, ejus quoque consortio perfruamur in coelis. **Per Dominum.**

DIE XXII. APRILIS.

In Inventione

Corporum Ss. Cantii et Sociorum Mart.

Missa: Sancti tui, temp. pasch.; extra temp. pasch. Missa: Sapientiam Sanctorum, cum Orat. seq.

Oratio.

Omnipotens sempiternae Deus, qui hodierna die membra sanctorum Martyrum tuorum Cantii, Cantiani, Cantianillae, Chrysogoni, Anastasiae et Prothi nobis famulis tuis revelare dignatus es: concede propitius; ut, qui eorum Corporum Inventionem hodie venerando colimus, ipsorum beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. **Per Dominum.**

Secreta.

Mis, quaesumus, Domine, muneribus intende placatus: et tribue supplicatione beatorum Martyrum

tuorum Cantii, Cantiani, Cantianillae, Chrysogoni, Anastasiae, et Prothi nos a peccatis omnibus absolvi, et coelesti gratia ditari. Per Dominum.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quaesumus, Domine Deus noster: ut intercedentibus sanctis tuis Cantio, Cantiano, Cantianilla, Chrysogono, Anastasia et Protho, quod ore sumpsimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

DIE XXVII. APRILIS.

In festo

S. Fidelis a Sigmaringa Mart.

Missa: Protexisti, temp. pasch. cum Or. sequente.

Oratio.

Deus, qui beatum Fidelem seraphico spiritus ardore succensum in verae Fidei propagatione Martyrii palma, et gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus, quaesumus, meritis et intercessione ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma; ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

Secreta et Postcom. 3. loco.

Extra temp. pasch. Missa: In virtute tua, cum Evang. Si quis venit ad me.

DIE XXVIII. APRILIS.

In festo

S. Pauli a Cruce Confess.

Introitus.

Gal. 2.

Christo confixus sum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus: in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Alleluja, alleluja.

Ps. 40. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad mysterium Crucis praedicandum sanctum Paulum singulari charitate donasti, et per eum novam in Ecclesia familiam florescere voluisti: ipsius nobis intercessione concede; ut passionem tuam jugiter recolentes in terris, ejusdem fructum consequi mereamur in coelis. Qui vivis et regnas.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. c. 1.

Fratres! Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis, Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

Alleluja, alleluja.

V. 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro

ipsis mortuus est et resurrexit.
Alleluja.

V. Rom. 8. Si filii, et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Alleluja.

Extra tempus paschale.

Graduale Gal. 6. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

V. 1. Cor. 1. Non judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Alleluja, alleluja.

V. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Alleluja.

Post Septuagesimam Tractus: 1. Pet. 4. Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis.

V. 2. Cor. 4. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

V. Hebr. 12. Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. **Luc. 10.**

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce! ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta; et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque do-

mum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui! et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis; et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 5. Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Alleluja.

Secreta.

Coelestem nobis, Domine, praebeant mysteria haec passionis et mortis tuae fervorem: quo sanctus Paulus, ea offerendo, corpus suum hostiam viventem, sanctam, tibi que placentem exhibuit. Qui vivis et regnas.

Communio. 1. Petr. 4. Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriae ejus gaudeatis exsultantes. Alleluja.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, divinum Sacramentum, immensae charitatis tuae memoriale perpetuum: tribue, quaesumus; ut sancti Pauli meritis et imitatione, aquam de fontibus tuis hauriamus in vitam aeternam salientem, et tuam sacratissimam passionem cordibus nostris impressam moribus et vita teneamus. Qui vivis et regnas.

DOMINICA III. POST PASCHA.

In Patrocinio

S. Josephi Confessoris,
SPONSI B. M. V.



Introitus. Psalm. 23.

Adjutor et Protector noster est Dominus: in eo laetabitur cor nostrum; et in nomine sancto ejus speravimus. Alleluja, alleluja.

Psal. 79. Qui regis Israël, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus; ut, quem Protectorem veneramus in terris, Intercessorem habere mereamur in caelis. Qui vivis, et regnas.

Lectio libri Genesis. Gen. 49.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius per manus potentis Jacob: inde Pastor egressus est, lapis Israël. Deus patris tui erit Adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, et vulvae. Benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium Collium aeternorum. Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos. Alleluja, alleluja.

V. De quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos: et ero Protector eorum semper. Alleluja.

V. Fac nos innocuam, Joseph, de-

currere vitam, sitque tuo semper tuta Patrocinio. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.

En illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante apertum est coelum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de caelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph. Credo.

Offertorium. Psal. 147. Lauda Jerusalem Dominum: quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te. Alleluja, alleluja.

Secreta.

Sanctissimae Genitricis tuae sponsi Patrocinio suffulti, rogamus. Domine clementiam tuam, ut corda nostra facias terrena cuncta despiciere, ac te verum Deum perfecta charitate diligere. Qui vivis.

Communio. Matth. 1. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Alleluja, alleluja.

Postcommunio.

Divini muneris fonte refecti, quaesumus, Domine Deus noster: ut, sicut nos facis beati Joseph protectione gaudere; ita ejus meritis, et intercessione coelestis gloriae facias esse participes. Per Dominum.

FESTA MAJI.

DIE IV. MAJI.

In festo

Ss. Floriani et Soc. Martyr.

Missa: Sancti tui, Or. Deus, qui nos concedis. Extra temp. pasch. Missa: Sapientiam.

DIE XI. MAJI.

In festo

S. Sigismundi Regis Mart.**Missa: Protexisti, praeter Orationes sequentes.**

Oratio.

Deus, qui beatum Sigismundum Regem temporali et aeterno diademate cum desiderata martyrii corona honorare dignatus es, et ejus Reliquias ex profundo gurgite aquarum ad celebrandum fidelibus revelasti: tribue, quaesumus; ut, qui ejus merita veneramur in terris, ipsius intercessione ab omnibus protegatur adversis. **Per Dominum nostrum Jesum Christum.**

Secreta.

Concede, quaesumus, Rex aeternae, ut hujus Sacrificii munus oblatum, interventu sancti Sigismundi Regis et Martyris, fragilitatem nostram ab omni adversitate semper protegat et muniat. **Per Dominum.**

Postcommunio.

Purificent nos, quaesumus, omnipotens Deus: tua percepta Sacramenta; et intercessione beati Sigismundi Regis et Martyris tui, ab omni malo expiatis, tibi nos reddant acceptos. **Per Dominum.**

DIE XIV. MAJI.

In festo

Ss. Victoris et Coronae Mart.**Missa: Sancti tui, cum. Or. seq.**

Oratio.

Deus, qui nos concedis, sanctorum Victoris et Coronae Martyrum natalitia recolere: praesta, quaesumus; ut, quorum patrocinio gloriamur, fidei constantiam imitemur. **Per Dominum.**

Secret. et Postcom. de Communi 2. loco. Fit com. S. Bonifacii M. Extra temp. pasch. Missa: Sapientiam.

DIE XVI. MAJI.

In festo

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Introitus.

Eccli. 51.



edit mihi Dominus linguam mercedem meam, et in ipsa laudabo eum. Alleluja, alleluja.

Psal. 38. Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da, ut ejus exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes; beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. **Per Dominum.**

Lectio libri Sapientiae. Eccli. 21. d.

Stultus a fenestra respiciet in domum; vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium, et prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur: et qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus et sensatus honorabitur.

Temp. pasch. Alleluja, alleluja.

V. Ibid. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. Alleluja.

V. Prov. 10. et 12. Lingua pravorum peribit, lingua autem sapientium est sanitas. Alleluja.

Extra temp. pasch. Graduale. Prov. 11. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat.

Ū. Ps. 14. Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum. Alleluja, alleluja.

Ū. Eccli. 25. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 11.

En illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce! qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce! ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.

Offertorium. Eccli. 42. Non duplices sermonem de revelatione sermonis absconditi, et eris vere sine confusione, et invenies gratiam in conspectu omnium hominum. Alleluja.

Secreta.

Haec tua, Domine, sacra Mysteria illum in nobis, quaesumus, ignem accendant, quo inclytus Martyr et

Sacerdos tuus Joannes ea peragendo flagrabat. Per Dominum.

Communio. Isaiae 6. Volavit ad me unus de Seraphim; et in manu ejus calculus, quem tulerat de altari, et tetigit os meum. Alleluja.

Postcommunio.

Fragilitatem nostram, Domine, coelestis haec mensa fortium pane confirmet: qui beati Martyris et Sacerdotis tui Joannis tentatam contra honorem Sacramenti constantiam jugiter aluit ad victoriam. Per Dominum.

DIE XVII. MAJI.

In festo
S. Maximae Virginis.

Missa: Dilexisti.

DIE XXI. MAJI.

In festo
S. Felicis a Cantalicio
CONFESSORIS.

Introitus. 1. Reg. cap. 2.

Dominus pauperem facit, et ditat, humiliat, et sublevat. Suscitatur de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, et solium gloriae teneat.

Temp. pasch. addit. Alleluja, alleluja.

Psalm. 68. Videant pauperes, et laetentur: quaerite Deum, et vivet anima vestra; quoniam exaudivit pauperes Dominus. Ū. Gloria Patri.

Oratio.

Pro nos, Domine Jesu! in simplicitate et innocentia cordis nostri ambulare: quarum amore de sinu Matris inter beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses. Col. 3.


Fratres! induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis et Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

Temp. pasch. Alleluja, alleluja. Psal. 26. V. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae: ut videam voluptatem Domini. Alleluja.

Psal. 67. V. Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. Alleluja.

Post tempus paschale. Psal. 17. Misit de summo, et accepit me, et assumpsit me de aquis multis. V. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus. Alleluja, alleluja.

Psal. 30. V. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 11.

En illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et re-

velasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium. Sap. 10. Honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. Temp. pasch. addit. Alleluja.

Oratio.

Adesto votis nostris, clementissime Deus, ut haec oblatio salutaris, quae in honorem beati Felicis persolvitur, ad delictorum nostrorum veniam impetrandam in odore suavitatis ascendat. Per Dominum.

Communio. Cant. cap. 2. et 3. Dilectus meus mihi, et ego illi. Tenui eum, nec dimittam. Tempore paschali additur: Alleluja.

Postcommunio.

Exuberet, quaesumus, Domine, in cordibus nostris percepti gratia Sacramenti, quae nos beati Felicis Confessoris tui imitatione purificet, atque intercessionem communiat. Per Dominum.

DIE XXIII. MAJI.

In festo

S. Paschalis Baylon Confess.

Missa: Os justi, primo loco.

Oratio.

Deus, qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria dilectione decorasti: concede propitius; ut, quam ille ex hoc divino

convivio spiritus perceptit pinguedinem, eandem et nos percipere mereamur. Qui vivis.

DIE XXIV. MAJI.

In festo

Beatae Mariae Virginis sub titulo:
Auxilium Christianorum.



Introitus.

Salve, sancta Parens, enixa puerpera Regem, qui coelum terramque regit in saecula saeculorum.

Psalmus 44. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. V. Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius; ut tali praesidio muniti certantes in vita victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiae. Eccli. 24.

Ab initio et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

Tempore pasch. Alleluja, alleluja.

V. Num. 17. Virga Jesse floruit, Virgo Deum et hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluja.

V. Luc. 1. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

Post tempus paschale Graduale.
Benedicta et venerabilis es, Virgo

Maria, quae sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris.

V. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluja, alleluja.

V. Post partum Virgo inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 11. d.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

Pro religionis christianae triumpho hostias placationis tibi, Domine, immolamus, quae ut nobis proficiant, opem auxiliatrix Virgo praestet, per quam talis perfecta est victoria. Per Dominum nostrum.

Praefatio de beata Maria. Et te in festivitate.

Communio. Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.

Postcommunio.

Adesto, Domine, populis, qui participatione Corporis et Sanguinis tui reficiuntur: ut, sanctissima tua Genitrice auxiliante, ab omni malo et periculo liberentur, et in omni opere bono custodiantur. Qui vivis et regnas.

DIE XXIX. MAJI.

In festo

S. Maximi Episcopi Martyr.

Eccl. Cathedr. Patroni.

Missa: Sacerdotes Dei. Temp. pasch. Missa: Protexisti, Or. Deus, qui nos.

DIE XXX. MAJI.

In Inventione Manus Dexteræ

S. Stephani Regis Hungariæ CONFESSORIS.

Introitus.

Psalm. 72.



enuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.

Temp. pasch. addit. Alleluja, alleluja.

Psalm. 40. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beati Stephani Regis et Confessoris tui gloriosam Dexteram revelasti: da nobis famulis tuis de ejus semper protectione gaudere. Per Dominum.

Deinde fit commemor. S. Felicis Papæ et Mart., ut in Missali hac die.

Lectio libri Tobiae. Cap. 4.

Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum

libenter impertiri stude; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Graduale. Isaia 58. Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Alleluja, alleluja. V. Ibid. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et gloria Domini colliget te. Alleluja.

Temp. pasch. Alleluja, alleluja. V. Psalm. 40. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Alleluja. V. Psalm. 36. Tota die miseretur et commodat. Semen illius in benedictione erit. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 12.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi: cornu ejus exaltabitur in gloria. Temp. pasch. addit. Alleluja.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostrae devotionis offerimus, quae et pro sancti Stephani Regis et Confessoris tui tibi grata sint honore, et nobis salutaria, te miserante, redantur. Per Dominum.

Commem. S. Felicis Papæ Mart.

Communio. Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et augebit incrementa frugum justitiae ejus. Tempore paschali additur: Alleluja.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, coelestia Sacramenta, beati Stephani Regis et Confessoris tui solemnia celebrantes: praesta, quaesumus; ut ipso intercedente, quod temporaliter gessimus, aeternis gaudiis consequamur. Per Dominum.

Commem. S. Felicis.

DIE XXXI. MAJI.

In festo

Ss. Cantiani, Cantii et Cantianillae

FRATRUM MARTYRUM.

Missa: Sancti tui, temp. pasch.; extra temp. paschale: Sapientiam Sanctorum, cum sequentibus.

V. Grad. Haec est vera fraternitas, quae vicit mundi crimina: Christum secuta est inclyta tenens regna coelestia. Alleluja.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut populus tuus ad plenae devotionis affectum beatorum Martyrum Cantiani et Sociorum ejus natalitiis praeparetur; et eorum patrocinio promerente, beatæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

Temp. pasch. **Secreta et Postcommunio** secundo loco.

FERIA JUNII.

FERIA VI. POST OCTAVAM SS. CORPORIS CHRISTI.

In festo

Sacratissimi Cordis
D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. Jer. Thr. 3.

Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex corde suo, et abjecit filios hominum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Alleluja, alleluja.

Psal. 88. Misericordias Domini in aeternum cantabo, in generationem et generationem. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus; eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ. Isaiæ 12.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce, Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo; quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote, quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda, habitatio Sion; quoniam magnus in medio tui Sanctus Israël.

Graduale. Jer. Thr. 16. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor

meus. **V. Joan. 13.** Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluja, alleluja.

V. Matth. 11. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. **Joan. 19.**

In illo tempore: Judaei (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem frugerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non frugerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Credo.

Offertorium. Psal. 102. Benedic, anima mea, Domino et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluja.

Secreta.

Tuere nos, Domine, tua tibi holocausta offerentes, ad quae, ut ferventius corda nostra praeparentur, flammis adure tuae divinae charitatis. Qui vivis.

Praefatio de Cruce.

Communio. Psal. 68. Improperium expectavit cor meum et miseriam, et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Alleluja.

Postcommunio.

Pacificis pasti deliciis, et salutariibus Sacramentis, te supplices exoramus, Domine Deus noster: ut, qui mitis es, et humilis corde; nos a vitiorum omnium labe purgatos,

propensius facias a superbis saeculi vanitatibus abhorrere. Qui vivis.

DIE I. JUNII.

In festo

S. Angelae Merici Virginis.

Missa: Dilexisti, cum Or. seq.

Oratio.

Deus, qui novum per beatam Angelam sacrarum Virginum collegium in Ecclesia tua florescere voluisti: da nobis ejus intercessione, angelicis moribus vivere; ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur aeternis. Per Dominum.

Secreta.

Hostia, Domine, quam tibi, beatae Angelae memoriam recolentes, offerimus, et nostrae pravitate veniam imploret, et gratiae tuae nobis dona conciliet. Per Dominum.

Postcommunio.

Coelesti alimonia refecti, supplices te, Domine, deprecamur: ut beatae Angelae precibus et exemplo, ab omni labe mundati, et corpore tibi placeamus et mente. Per Dominum.

DIE IV. JUNII.

In festo

S. Quirini Episcopi Martyr.

Missa: Sacerdotes Dei, Evang. Si quis venit. Temp. pasch.

Missa: Protexisti, Or. Deus, qui nos.

DIE V. JUNII.

In festo

S. Francisci Caracciolo Conf.

Introitus. **Psal. 21. & 68.**



actum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei: quoniam zelus domus tuae comedit me.

Psalm. 71. Quam bonus, Israel, Deus, his, qui recto sunt corde!

V. Gloria Patri, et Filio etc.

Oratio.

Deus, qui beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et poenitentiae amore decorasti; da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere; ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes, ad coelestem gloriam pervenire mereantur. **Per Dominum nostrum.**

Lectio libri Sapientiae. Sap. 4.

Justus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

Tempore paschali. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 64. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. Alleluja.

V. Psalm. 14. Dispensit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in saeculum saeculi. Alleluja.

Extra Tempus paschale.

Graduale. Psal. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

V. Psalm. ib. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Alleluja, alleluja.

V. Psalm. 72. Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 12.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lambi vestri praecinctorum, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinet se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia, venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertorium. Psalm. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Secreta.

Da nobis, clementissime Jesu, ut praeclara beati Francisci merita recolentes, eodem nos, ac ille, charitatis igne succensi, digne in circuitu sacrae hujus mensae tuae esse valeamus. Qui vivis, etc.

Communio. Psalmus 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!

Postcommunio.

Sacrosancti sacrificii, quasumus, Domine, quod hodie in solemnitate beati Francisci tuae obtulimus Majestati, grata semper in mentibus nostris memoria perseveret, et fructus. **Per Dominum.**

Haec Missa dicitur juxta decr. 25. Nov. 1807 et 3. Aug. 1839.

DIE VI. JUNII.

In festo

**S. Bertrandi Patriarchae
AQUILEJENSIS CONFESS.**

**Missa: Sacerdotes tui, cum seq.
Oration.**

Oratio.

Deus, qui beatum Bertrandum pro Ecclesiae suae juribus ad mortem usque certantem invicta pastoralis fortitudine roborasti: praesta fidelibus tuis; ut ad pietatis et religionis constantiam ejusdem informantur exemplis. Per Dominum.

Secreta.

Sacra dona, quae tibi, Domine, reverenter offerimus in commemoratione beati Bertrandi, Ecclesiae tuae libertatem tueantur et pacem, et sanctificationis nostrae incrementa promoveant. Per Dominum.

Postcommunio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut in honorem beati Bertrandi celebrata mysteria ejus virtutum imitatores, et tua protectione nos dignos efficiant. Per Dominum.

DIE VIII. JUNII.

In Commemoratione

Ss. Vitalis et Variae Mart,
quorum reliquiae in Cathedrali Ecclesia
Labacensi asservantur.

**Missa: Sapientiam Sanctorum,
cum seq. Oration.**

Oratio.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: et fac nos immortalis gloriae participes; cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

Secreta.

Imploremus, Domine, clementiam tuam: ut Sanctorum tuorum, quorum Reliquias colimus; suffragantibus meritis, Hostia, quam offerimus, nostrorum sit expiatio delictorum. Per Dominum.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quaesumus, Domine, misericordiam tuam: ut sicut in tuorum solemnitate Sanctorum, quorum Reliquias colimus; pia devotione lactamur, ita eorum perpetua societate, te largiente fruamur. Per Dominum.

DIE XVI. JUNII.

In festo

S. Joannis Franc. Regis Conf.

Missa: Os justi, primo loco.

Oratio.

Deus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate, et invicta patientia decorasti: concede propitius; ut ejus exemplis instructi, et intercessionibus adjuti aeternae vitae praemia consequamur. Per Dominum.

DIE XVII. JUNII.

In festo

**S. Cyriacae et Muscae Virg.
ET MARTYRUM.**

**Missa: Loquebar, Or., Secr. et
Postcom. de Comuni plur. Virg. et
Martyr., Epist.: De virginibus.**

DIE XVIII. JUNII.

In festo
S. Felicis et Fortunati Mart.




Introitus.

Psal. 36.

alus autem justorum a Domino: et protector eorum est in tempore tribulationis.

Psal. ibid. Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. V. Gloria Patri.

Oratio.

desto, quaesumus, Domine, fidelibus tuis, nec ullis mentis et corporis sinas subjacere periculis: quos beatorum Martyrum tuorum Felicis et Fortunati munit gloriosa confessio. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Hebr. 10.

Fratres! rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale. Ps. 33. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. V. Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde et humiles spiritu salvabit. Alleluja, alleluja.

V. Haec est vera fraternitas, quae vicit mundi crimina: Christum secuta

est inclyta tenens regna coelestia. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 10. c.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis.

Offertorium. Sap. 3. Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiae: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Alleluja.

Secreta.

Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, sanctorum Martyrum tuorum Felicis et Fortunati prosequatur oratio, per quam nobis expiari tribuas, et defendi. Per Dominum.

Communio. Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus: et quod in aure audistis, praedicate super tecta.

Postcommunio.

Recreati sacris muneribus, quaesumus, Domine: ut non indigne sumentibus vertantur ad poenam, sed intercedentibus sanctis Martyribus tuis Felice et Fortunato, fidelibus prosint ad veniam. Per Dominum.

DIE XIX. JUNIL.

In festo

S. Nazarii Episcopi Confess.

Missa: Statuit, com. Ss. Mm. Gervasii et Protasii.

DIE XX. JUNIL.

In festo

S. Prothi Martyris.

Missa: In virtute tua, Evang. Si quis vult, com. S. Silverii Papae M.

DIE XXI. JUNIL.

In festo

S. Aloysii Gonzagae Confess.

Introitus.

Psal. 8.

inuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria et honore coronasti eum.

Psal. 148. Laudate Dominum omnes Angeli ejus: Laudate eum omnes virtutes ejus. V. Gloria Patri.

Oratio.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitae innocentiam paricum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede; ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. **Eccli. 31.**

Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.

Graduale. Psal. 70. Domine, spes

mea a juventute mea: in te confirmatus sum ex utero; de ventre matris meae tu es protector meus. V. Psal. 40. Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum. Alleluja, alleluja.

Psal. 64. Beatus, quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 22.

In illo tempore: Respondens Jesus ait Sadducaeis: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbae mirabantur in doctrina ejus. Pharisei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum; et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetiae.

Offertorium. Psal. 23. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde.

Secreta.

Coelesti convivio fac nos, Domine, nuptiali veste indutos accumbere: quam beati Aloysii pia praeparatio et juges lacrymae inaestimabilibus ornabant margaritis. Per Dominum

Communio. Psal. 77. Panem coeli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo.

Postcommunio.

Angelorum esca nutritos, Angelicis etiam, Domine, da moribus vivere: et ejus, quem hodie colimus; exemplo in gratiarum semper actione manere. Per Dominum.

DIE XXII. JUNII.

In festo

Ss. Achatii et Soc. Martyr.

Missa: Sapientiam, com. S. Paulini Episc. Confess.

DIE XXIII. JUNII.

In festo

S. Julianae de Falconieri Virg.

Missa: Dilexisti justitiam.

Oratio.

Deus, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es: concede, quaesumus; ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti ac roborati ad coelestem patriam perducamur. Per eundem Dominum.

DIE XXV. JUNII.

In festo

S. Guilielmi Abbatis.

Missa: Os justi, de Communi Abb., secundo loco, praeter Or. seq.

Oratio.

Deus, qui infirmitati nostrae ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum et praesidium collocasti: da nobis, ita beati Guilielmi Abbatis merita venerari; ut ejusdem excipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum.

Et fit commem. Octavae Nativ. S. Joannis Baptistae.

DIE XXVII. JUNII.

In festo

S. Ladislai Regis Hungariae CONFESSORIS.

Missa: Os justi, primo loco.

Oratio.

Deus, qui beatum Regem Ladislaum Confessorem tuum diversis decorasti miraculis: praesta, quaesumus; ut, ejus suffragantibus meritis, ab omnibus semper muniamur adversis, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum.

DIE XXIX. JUNII.

In festo

Ss. Apostol. Petri et Pauli.

Pro Commem. omnium Ss. Apostolorum.

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus: ut beatorum Apostolorum tuorum, quorum hodie Commemorationem colimus; veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

Secreta.

Apostolici reverentia culminis offerentes tibi sacra mysteria, Domine, quaesumus, ut beatorum Apostolorum tuorum suffragiis plebs tua semper et sua vota depromat, et desiderata percipiat. Per Dominum.

Postcommunio.

Sanctorum Apostolorum tuorum, quaesumus, Domine, supplicatione placatus: et veniam nobis tribue; et remedia sempiterna concede. Per Dominum.

est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.

Graduale. Psal. 41. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine. **V.** Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, propterea populi confitebuntur tibi. Alleluja, alleluja. **V.** Nimis honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. **Cap. 10.**

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ecce! ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui! Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. **Credo.**

Offertorium. Lucae 10. Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit,

me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Secreta.

Perpetuam, Domine, sanctorum Apostolorum gloriam venerantes, quaesumus; ut eam, sacris mysteriis expiati, dignius semper celebrare valeamus. **Per Dominum.**

Praefatio de Apostolis.

Communio. Isaiac 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem: annuntiantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.

Postcommunio.

Preceptis, Domine, Sacramentis, suppliciter exoramus: ut, intercedentibus beatis Apostolis tuis, ad medelam nobis proficiant, quae pro illorum veneranda gerimus solemnitate. **Per Dominum.**

DIE XX. JULII.

In festo

Sancti Hieronymi Aemiliani
CONFESSORIS.

Introitus. Jer. Thr. 2, 11.

Iffusum est in terra jecur meum super contritione filiae populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi.

Psal. 112. Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.

V. Gloria Patri.

Oratio.


Deus misericordiarum Pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adiutorem et patrem esse voluisti: concede; ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. **Per Dominum.**

Lectio Isaiiae Prophetae. C. 58. v. 7.

Frange esurienti panem tuum et egenos vagosque induc in domum

tuam; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce, adsum; si abstuleris de medio tui catenam, et desieris extendere digitum, et loqui: quod non prodest. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquae.

Graduale. Prov. 5. v. 16. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. **V. Psal. 111.** Jucundus homo, qui miseretur, et commodat; disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur. Alleluja, alleluja. **V.** Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in saeculum saeculi. Alleluja.

 **Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. C. 19. v. 13.**

In illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim Regnum Coelorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce, unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum te-

stimonium dices: Honora patrem tuum, et matrem tuam: et diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.

Offertorium. Tobiae 12. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Secreta.

Clementissime Deus, qui veteri homine consumpto novum secundum te in beato Hieronymo creare dignatus es: da per merita ipsius, ut nos pariter renovati hanc placationis Hostiam in odorem tibi suavissimum offeramus. Per Dominum.

Communio. Jac. 1. v. 27. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.

Postcommunio.

Angelorum pane refecti te, Domine, suppliciter deprecamur: ut, qui annuam beati Hieronymi Confessoris tui memoriam celebrare gaudemus; ejusdem etiam et exemplum imitemur, et amplissimum in Regno tuo praemium obtinere valeamus. Per Dominum.

DIE XXI. JULII.

In festo
Sancti Camilli de Lellis
CONFESSORIS.

Introitus.

Joan. 15.



ajorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Psal. 40. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. *V.* Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.

Oratio.


Deus, qui sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis praerogativa decorasti: ejus, quaesumus, meritis Spiritum nobis tuae dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum... ejusdem Spiritus.

Lectio Epistolae beati Joannis Apostoli. **1. Joan. 3, 6.**

Charissimi! Nolite mirari, si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte; omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitatis Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.

Graduale. Psal. 36. Os justii meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. *V.* Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alleluja.

V. **Psal. 3.** Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. Alleluja.

 **Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 15.**

En illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Hoc est praeceptum

meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Offertorium. Psal. 20. In virtute tua, Domine, laetabitur justus, et super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animae ejus tribuisti ei.

Secreta.

Hostia immaculata, qua illud Domini nostri Jesu Christi immensae charitatis opus renovamus, sancto Camillo intercedente, sit contra omnes corporis et animae infirmitates salutare remedium, et in extremo agone solatium et tutela. Per Dominum.

Communio. Matth. 25. Infirmus fui, et visitastis me. Amen, amen dico vobis: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Postcommunio.

Per haec coelestia Alimenta, quae sancti Camilli Confessoris tui solemnia celebrantes, pia devotione suscepimus: da, quaesumus, Domine; ut in hora mortis nostrae Sacramentis refecti, et culpae omnibus expiati, in sinum misericordiae tuae laeti suscipi mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. **R.** Amen.

DIE XXIV. JULII.

In festo

S. Christinae Virg. Mart.

Missa: Loquebar, cum. Or. seq.

Oratio.

Dominipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quaequae confundas: concede propitius; ut, qui beatæ Christinae Virginis et Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocina sentiamus. Per Dominum.

DIE XXVII. JULII.

In festo

S. Pantaleonis Martyris.

Missa: Laetabitur, cum. Or. seq.

Oratio.

Deus, qui beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius; ut, qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuæ sentiamus effectum. Per Dominum.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

In festo

S. Vincentii a Paulo CONFESSORIS.

Missa: Justus, ut Palma, praeter sequentem Orationem et Evangelium infra assignatum.

Oratio.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus, et ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium apostolica virtute roborasti: praesta, quaesumus; ut, cujus pia me-

rita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

Evangelium. Designavit Dominus ut infra in Festo S. Alphonsi, die 9. Augusti.

DIE IX. AUGUSTI.

In festo

S. Alphonsi Mariae de Ligorio EPISCOPI CONFESSORIS.

Introitus.

Luc. 4.



piritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde.

Psal. 77. Attendite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus; ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati ad te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum. 2. Cap. 2.

Charissime! confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige, quae dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Graduale. Psal. 118. v. 52. Memor fui judiciorum tuorum a saeculo, Domine, et consolatus sum; defectio

tenuit me pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam.

V. Psal. 39. 10. Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam et salutare tuum dixi. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 49. v. 3. Ipse est directus divinitus in poenitentiam gentis, et tulit abominationes impietatis, et gubernavit ad Dominum cor ipsius, et in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salvaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui! et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis, et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Offertorium. Prov. 39. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, et ipse benefac.

Secreta.

Coelesti, Domine Jesu Christe, sacrificii igne corda nostra in

odorem suavitatis exure: qui beato Alphonso Mariae tribuisti et haec Mystera celebrare, et per eadem hostiam tibi sanctam seipsum exhibere. Qui vivis.

Communio. Eccli. 51. Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum, quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.

Postcommunio.

Deus, qui beatum Alphonsum Mariam, Confessorem tuum atque Pontificem, fidelem divini Mysteriorum dispensatorem et praeconem effecisti: ejus meritis precibusque concede; ut fideles tui et illud frequenter percipiant, et percipiendo sine fine colaudent. Per Dominum.

DIE XI. AUGUSTI.

In festo

S. Christophori Martyris.

Missa: In virtute, cum Evang. Si quis vult. et sequent. Orat.

Oratio.

Idesto, Domine, supplicationibus nostris: ut, qui beati Martyris tui Christophori natalitiis gloriamur; nec minis injuste persequentium, nec ullis perturbemur adversis. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Oblata munera, quaesumus, Domine, tua benedictione sanctifica, quae, te donante, nos illa flamma tuae dilectionis accendat, per quam sanctus Christophorus tormenta sui corporis universa devicit. Per Dominum.

Postcommunio.

Beati Martyris tui Christophori victoriam divino convivio celebrantes: te, Domine, deprecamur; ut panem vitae hic edentibus des vincere, et vincentibus des edere de ligno vitae in Paradiso. Per Dominum.

DIE XVI. AUGUSTI.

In festo

S. Rochi Confessoris.

Missa: Justus, cum Or. propria.

Oratio.

Populum tuum, quaesumus, Domine, continua pietate custodi: et beati Rochi suffragantibus meritis; ab omni fac animae et corporis contagione securum. Per Dominum.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASSUMPT. B. M. V.

In festo

S. Joachimi Conf. Patr. B. M. V.

Missa, ubi non habetur infra octav. Assumpt., accipiatur ex 20. Martii, Graduale vero ut sequitur.

Graduale.

Psal. 111.



dispersit, dedit pauperibus. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Ÿ. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. Alleluja, alleluja.

Ÿ. O Joachim sancte, Conjux Annae, Pater almae Virginis, hic famulis confer salutis opem. Alleluja.

DIE XVIII. AUGUSTI.

In festo

S. Agapiti Martyris.

Introitus.

Sap. 10. 21.



sapientia aperuit os mutum, et linguas infantium fecit disertas.

Psal. 112. Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini.

Ÿ. Gloria Patri.

Oratio.

Beaetetur Ecclesia tua, Deus, beati Agapiti Martyris tui confisa suffragiis: atque ejus precibus gloriosis et devota permaneat, et segura consistat. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Petri Apostoli.

1. Cap. 4. 13.

Charissimi! Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes: si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit: nemo autem vestrum patiat ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quoniam tempus est, ut incipiat judicium a Domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas in benefactis.

Graduale. Psal. 20. Desiderium animae ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Ÿ. Praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Alleluja, alleluja.

Ÿ. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 10.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam: et inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Offertorium. Psal. 8. Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

Secreta.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, ut ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur. Per Dominum nostrum.

Communio. Dan. 13. Suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris.

Postcommunio.

Refecti participatione muneris sacri, quaesumus, Domine Deus noster: ut, cuius exequimur cultum; intercedente beato Agapito Martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

DIE XIX. AUGUSTI.

In festo

**S. Ludovici Tolosani Episcopi
CONFESSORIS.**

Missa: Sacerdotes tui, cum Orat. propria.

Oratio.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum atque Pontificem coeleste regnum terreno praepone docuisti, ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabilem efficere dignatus es: concede nobis famulis tuis imitari, quem colimus; ut ejusdem virtutes aemu-

lantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DIE XXI. AUGUSTI.

In festo

Ss. Donati et Soc. Martyrum.

Missa: Sapientiam, com. Oct. Ass.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Translatione Corporum

**Ss. Hermagorae et Fortunati
MARTYRUM.**

Missa: Intret, praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui gloriosa beatorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati membra nobis famulis tuis revelare dignatus es: concede propitius; ut, qui eorum Corporum Translationem hodie venerando colimus, ipsorum beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum.

Secreta.

Munera humilitatis nostrae, Domine, sanctorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati Translatione offerentes: quaesumus te, propitius prospicere dignare; et ipsorum intercessione tam ad profectum vitae, quam animae, salutaria nobis consueta miseratione provenire concede. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumentes, Domine, coelestis dona mysterii: quaesumus; ut sanctorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati adjuvemur meritis, quorum Translationem debita veneratione celebramus. Per Dominum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Aegidii Abbatis.**Missa: Os justis, secundo loco, cum sequent. Oration.**

Oratio.

Deus, qui beatum Aegidium Abbatem, erogatis in pauperes divitiis, ad eremum mira providentia traduxisti: fac nos ejus exemplo et intercessione caduca despiciere; et sola coelestia desiderare. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

Per hanc, quam tibi offerimus, Hostiam esto nobis, Domine, propitius, et intercessione beati Aegidii Abbatis nostra ad te corda converte, ut a mundanis cupiditatibus expediti, te solum pura mente sectemur. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, sacri dona mysterii humiliter deprecantes: ut beatum Aegidium Abbatem, quem admirabilem in mundi contemptu praedicamus in terris; intercessorem mereamur habere in coelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Euphemiae, Dorotheae, Theclae et Erasmae VV. MM.

Introitus.

Psal. 118.

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua, Domine, intellexi; omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

Psal. ibid. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. **V.** Gloria Patri.

Oratio.

Da nobis, misericors Deus, sanctis Virginibus et Martyribus tuis Euphemia, Dorothea, Thecla et Erasma intercedentibus, coelestis gratiae abundantiam: ut earum passio celebrata; praesentis vitae subsidium conferat, et aeternae. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. **1. Cor. 7. c.**

Fratres! De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt; quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Psal. 45. Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus non commovebitur. **V.** Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Alleluja, alleluja. **V.** Haec est

virgo sapiens, et una de numero prudentium. Alleluja.

 **Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 19.**

In illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat.

Offertorium. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Secreta.

Antende, quaesumus, Domine, munerata altaribus tuis pro sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Euphemiae, Dorotheae, Theclae et Erasmae festivitate proposita: ut, sicut per haec beata mysteria illis glo-

riam contulisti; ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Communio. Psal. 116. Fecit iudicium et justitiam, Domine, non calumnientur mihi superbi: ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.

Postcommunio.

Praesta, nobis, quaesumus, Domine, intercedentibus sanctis Virginibus et Martyribus tuis: ut, quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Rosaliae Virginis.

Missa: Dilexisti, cum Or. seq.

Oratio.

Bxaudi nos, Deus salutaris noster, ut, sicut de beatae Rosaliae Virginis tuae festivitate gaudemus: ita pia devotionis erudiamur affectu; et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Joannae Francisc. Fremiot de Chantal, Viduae.

Missa: Cognovi, cum Or. seq.

Oratio.

Omnipotens misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis et precibus concede; ut, qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

Secreta.

Illo nos amoris igne, quaesumus, Domine, haec Hostia salutaris inflammet, quo beatae Joannae Franciscæ cor vehementer incendit, et flammis adussit aeternae charitatis. Per Dominum.

Postcommunio.

Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde: ut, quos coelestis panis virtute satiasti, beata Joanna Francisca intercedente, facias terrena despiciere; et te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum... in unitate ejusdem Spiritus.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Anastasii Martyris.

Missa: In virtute tua, Evang. Si quis vult.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Hermogenis et Fortunati
MARTYRUM.

Missa: Sapientiam, com. Oct. et S. Gorgonii M.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Danielis Prophetæ Conf.

Introitus.

Psal. 36.



Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. ibid. Noli aemulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beati Danielis Confessoris tui annua solemnitate

laetificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 14. c.

In diebus illis: Congregati sunt Babylonii ad regem, et dixerunt ei: Trade nobis Danielelem, qui Bel destruxit, et draconem interfecit; alioquin interficiemus te, et domum tuam. Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer: et necessitate compulsus tradidit eis Danielelem. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duae oves; et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielelem. Erat autem Habacuc Propheta in Judæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo, et ibat in campum, ut ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel, serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die septimo, ut lugeret Danielelem; et venit ad lacum, et introspectit; et ecce, Daniel sedens in medio leonum. Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus es, Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, et devorati sunt in momento

coram eo. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis; quia ipse est Salvator, faciens signa, et mirabilia in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum.

Graduale. Psal. 91. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. *V.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Alleluja, alleluja. *V.* **Jac. 1.** Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. **Matth. 24.**

En illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat: tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes: et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce, hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce, praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce, in deserto est, nolite exire: Ecce, in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem: ita erit adventus Filii hominis. Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae. Statim au-

tem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur: et tunc parebit signum Filii hominis in coelo: et tunc plangent omnes tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa, et majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis, quia prope est aestas; ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote, quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.

Offertorium. Psal. 88. Veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, Hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et praesentibus exui malis confidimus, et futuris. **Per Dominum.**

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Defecti cibo potuque coelesti, Deus noster: te supplices exoramus; ut, in cujus haec commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. **Per Dominum.**

DIE XII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Pelagii Martyris.

Missa: In virtute tua, com. Oct.,
Evang. Si quis venit.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Septem Dormientium Mm.

Missa: Sapientiam, com. Oct.

DOMINICA III. SEPTEMBRIS.

In festo

Septem Dolorum B. M. V.

Missa dicitur ut in feria VI. post
Dom. Passionis. Omisso Tractu di-
citur Graduale cum 2 Alleluja et
V. seq. ac Stabat Mater, et seq.
Orat. propria.

Oratio.

Deus, in cujus Passione, secun-
dum Simeonis prophetiam, dul-
cissimam animam gloriosae Virginis
et Matris Mariae doloris gladius
pertransivit: concede propitius; ut,
qui Dolores ejus venerando recoli-
mus, Passionis tuae effectum felicem
consequamur. Qui vivis.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo

**S. Josephi a Cupertino
CONFESSORIS.**

Introitus. Eccli. c. 1. v. 14.

Dilectio Dei honorabilis sa-
pientia: quibus autem ap-
paruerit in visu, diligunt
eam in visione, et in agnitione
magnalium suorum.

Psal. 83. Quam dilecta taberna-
cula tua, Domine virtutum: concu-
piscit et deficit anima mea in atria
Domini. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui ad Unigenitum Filium
tuum exaltatum a terra omnia
trahere disposuisti: perface propitius;
ut meritis et exemplo Seraphici Con-
fessoris tui Josephi supra terrenas
omnes cupiditates elevati, ad eum
pervenire mereamur. Qui tecum vivit.

Lectio Epistolae beati Pauli Apo-
stoli ad Corinthios. Epist. 1. c. 13.

Fratres! Si linguis hominum loquar,
et Angelorum, charitatem autem
non habeam, factus sum velut aes
sonans, aut cymbalum tinniens. Et
si habuero prophetiam, et noverim
mysteria omnia et omnem scientiam,
charitatem autem non habuero, nihil
sum. Et si distribuero in cibos pau-
perum omnes facultates meas, et si
tradidero corpus meum, ita ut ar-
deam, charitatem autem non habuero,
nihil mihi prodest. Caritas patiens
est, benigna est: Caritas non aemu-
latur, non agit perperam, non in-
flatur, non est ambitiosa, non quae-
rit, quae sua sunt, non irritatur, non
cogitat malum, non gaudet super
iniquitate, congaudet autem veritati:
omnia suffert, omnia credit, omnia
sperat, omnia sustinet. Caritas num-
quam excidit, sive prophetiae eva-
cuabuntur, sive linguae cessabunt,
sive scientia destruetur.

Graduale. Psal. 20. Domine, prae-
venisti eum in benedictionibus dul-
cedinis, posuisti in capite ejus co-
ronam de lapide pretioso. V. Vitam
petiit a te, et tribuisti ei longitu-
dinem dierum in saeculum, et in
saeculum saeculi. Alleluja, alleluja.
V. Eccli. C. 11. v. 13. Oculus Dei
respexit illum in bono, et erexit eum
ab humilitate ipsius, et exaltavit caput
ejus. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii se-
cundum Matthaeum. Matth. 22.

En illo tempore: Loquebatur Jesus
principibus sacerdotum, et Pha-

risaeis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias: et nolebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce, prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam; reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt; sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos: et impletae sunt nuptiae discumbentium. Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice! quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Offertorium. Psal. 34. v. 13. Ego autem, cum mihi molesti essent, induabar cilicio. Humiliabam in jejuniis animam meam: et oratio mea in sinu meo convertetur.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, Hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum, quibus nos et praesentibus exui malis confidimus, et futuris. Per Dominum.

Communio. Psal. 68. v. 30. et 31. Ego sum pauper et dolens: salus

tua, Deus, suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.

Postcommunio.

Refecti cibo potuque coelesti, Deus noster: te supplices exoramus; ut in cujus haec commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In festo

B. Mariae de Socos

Vel de Cervellione Virginis.

Missa: Dilexisti, cum Or. seq.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius; ut, intercedente beata Maria famula tua, de praesentis vitae fluctibus educti ad aeternae salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum nostrum.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Gerardi Episcopi Martyris.

Missa: Statuit, com. Ss. Cypriani et Justinae Mm.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

In festo

S. Remigii Episcopi Confess.

Missa: Statuit.

DIE II. OCTOBRIS.

In festo

S. Juliani Martyris.

Missa: Laetabitur, Evang. Si quis vult.

DIE III. OCTOBRIS.

In festo

S. Josephi Calasactii CONFESSORIS.

Introitus.

Psal. 44.



enite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Psal. ibid. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudendam spiritum intelligentiae ac pietatis juventutem novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es: praesta, quaesumus; nos ejus exemplo et intercessione ita facere et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiae. Cap. 10.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Haec venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem aeternam Dominus Deus noster.

Graduale. Psal. 36. Os justus meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur iudicium. V. Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alle-

luja. V. Jac. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno coelorum, et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Offertorium. Psal. 10. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: praeparationem cordis eorum audivit auris tua.

Secreta.

Altare tuum, Domine, muneribus cumulamus oblati, ut ejus nobis fiant supplicatione propitia, cujus nos donasti patrocinio adjuvari. Per Dominum.

Communio. Marci cap. 10. Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum Dei.

Postcommunio.

Sanctificati, Domine, salutari Mysterio: quaesumus; ut intercedente sancto Josepho Confessore tuo ad majus semper proficiamus pietatis incrementum. Per Dominum.

DIE X. OCTOBRIS.

In festo

Ss. Gereonis et Sociorum MARTYRUM.



Introitus. Jer. Thr. 2. 11.

apientiam Sanctorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia: nomina autem eorum vivent in saeculum saeculi.

Psalm. 32. Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Gereonis et Sociorum ejus solemnitate gaudere: concede propitius; ut, quorum merita celebramus, accendamus exemplis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Sap. 5. c.

Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini; quoniam dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, aequitatem.

Graduale. Psalm. 123. Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. V. Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram. Alleluja, alleluja.

V. Psalm. 57. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei; et delectentur in laetitia. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 10.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israëel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut Dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est operatum, quod non revelabitur, et occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Offertorium. Psalm. 149. Exultabunt Sancti in gloria, lactabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in faucibus eorum. Alleluja.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostrae devotionis offerimus: quae et pro tuorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Communio. Lucae 12. Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui vos persequuntur.

Postcommunio.

Praesta nobis, quaesumus, Domine, intercedentibus sanctis Martyribus tuis Gereone et Sociis: ut, quod ore contingimus; pura mente capiamus. Per Dominum.

DIE XI. OCTOBRIS.

In festo

S. Justinae Virg. et Martyr.

Missa: Loquebar.

DIE XII. OCTOBRIS.

In festo

S. Maximiliani Episcopi MARTYRIS.

Missa: Statuit, cum. Or. seq.

Oratio.

Deus, qui nos beati Maximiliani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lactificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

DIE XX. OCTOBRIS.

In festo

S. Joannis Kantii Confess.

Introitus.

Eccli. 18.



iseratio hominis circa proximum suum; misericordia autem Dei super omnem carnem. Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastorem gregem suum.

Psal. 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus: ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes; ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Jacobi Apostoli. **Cap. 2. 12.**

Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se

habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater, et soror nudi sunt, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: **Ite in pace, calefacimini, et saturamini; non dederit autem eis, quae necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.**

Graduale. Psal. 106. Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

V. **Psal. 106.** Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis. Alleluja, alleluja.

V. **Prov. 31.** Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. **Lucae 12.**

En illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis; ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. **Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati; quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.**

Offertorium. Job. 29. Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento, et diademate, iudicio meo; oculus fui caeco, et pes claudus: pater eram pauperum.

Secreta.

Has, quaesumus, Domine, Hostias sancti Joannis Confessoris tui meritis benignus assume, et praesta; ut te super omnia, et omnes propter te diligentes, corde tibi et opere placeamus. Per Dominum.

Communio. Lucae 6. Date, et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio.

Pretiosi Corporis et Sanguinis tui, Domine, pasti deliciis tuam supplices deprecamur clementiam: ut sancti Joannis Confessoris tui meritis et exemplis, ejusdem charitatis imitatores effecti; consortes simus et gloriae. Qui vivis.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In festo

Ss. Ursulae et Sociarum
VV. MM.

Introitus.

Psal. 118.

Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar: et meditabar in mandatis tuis, quae dilexi nimis.

Psal. ibid. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Da nobis, quaesumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulae et Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari: ut, quas dignamente non possumus celebrare; humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

**Deinde fit commem. S. Hilari-
onis Abbatis.**

**Lectio Epistolae beati Pauli Apo-
stoli ad Corinthios. 1. Cor. 7. c.**

Fratres! De virginibus praeceptum Domini non habeo; consilium au-

tem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo, hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Psal. 44. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem. **V.** Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. Alleluja, alleluja. **V.** Adducentur Regi Virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi in laetitia. Alleluja.



**Sequentia sancti Evangelii se-
cundum Matthaeum. Matth. 25.**

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes; sed quinque fatuae, acceptis lam-

padibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis! At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium. Psal. 44. Afferentur Regi virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi in laetitia et exultatione, adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

Qntende, quaesumus, Domine, munera altaribus tuis pro sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulae et Sociarum ejus festivitate proposita: ut, sicut per haec beata Mysteria illis gloriam contulisti; ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Communio. Psal. 118. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem in mandatis tuis exercebor, in tuis justificationibus, ut non confundar.

Postcommunio.

Praesta nobis, quaesumus, Domine, intercedentibus sanctis Virgibus et Martyribus tuis: ut, quod ore

contingimus; pura mente capiamus. Per Dominum.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo

S. Fidei Virg. et Martyris.

Missa: Me expectaverunt, 1. loco, Evang. de decem virginibus.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In festo

S. Raphaelis Archangeli.

Introitus.

Psal. 102.

Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus: potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psal. ibid. Benedic, anima mea, Domino: et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis: ut ejusdem semper protegatur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

Lectio libri Tobiae.

Tob. 12.

Quoniam diebus illis: Dixit Angelus Raphael ad Tobiam: Etenim sacramentum regis abscondere, bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesaurus auri recondere; quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas

mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepe liebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a daemone liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.

Graduale. Tob. 8. Angelus Domini Raphaël apprehendit et ligavit daemonem.

V. Psal. 144. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. **Joan. 5.**

In illo tempore: Erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. Erat autem Jerosolymis probatica piscina, quae cognominatur hebraice Bethesda, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat, a quacumque detinebatur infirmitate. **Credo.**

Offertorium. Apoc. 8. Stetit Angelus juxta Aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes: ut easdem, Angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus ac-

cipias, et ad salutem nostram provenire concedas. **Per Dominum.**

Communio. Dan. 3. Benedicite, omnes Angeli Domini, Domino: hymnum dicite, et superexaltate eum in saecula.

Postcommunio.

Dirigere dignare, Domine Deus, in adjutorium nostrum sanctum Raphaëlem Archangelum: et quem tuae Majestati semper assistere credimus; tibi nostras exiguas preces benedicendas assignet. **Per Dominum.**

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In festo

S. Wolfgangi Episcopi Conf.

Missa: Sacerdotes tui.

Oratio.

Deus, qui nobis aeternae salutis beatum Wolfgangum Episcopum et Ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut, quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. **Per Dominum nostrum.**

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III. NOVEMBRIS.

In festo

S. Justi Martyris.

Introitus.

Psal. 20.

In virtute tua, Domine, laetabitur justus, et super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animae ejus tribuisti ei.

Psal. ibid. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. **V. Gloria Patri.**

Oratio.

Deus, qui beatum Justum Martyrem tuum virtute constantiae

in passione roborasti: concede propitius; ut, qui ejus festum hodierna die celebramus, ejus quoque consortio perfruamur aeterno. Per Dominum.


Lectio libri Sapientiae. Sap. 10. b.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, et honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi, ut vinceret, et sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia. Haec venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum; descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant; et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum; et dedit illi claritatem aeternam Dominus Deus noster.

Graduale. Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

V. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. Alleluja, alleluja.

V. Psalm. 20. Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Joan. 12. d.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister

meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Offertorium. Psal. 8. Gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine.

Secreta.

Muneribus nostris, quaesumus, Domine, precibusque susceptis, et coelestibus nos munda Mysteriis, et clementer exaudi. Per Dominum.

Communio. Matth. 10. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Postcommunio.

Ma, quaesumus, Domine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratione Sanctorum, temporali gratulamur officio; ita perpetuo laetemur aspectu. Per Dominum.

DIE V. NOVEMBRIS.

In festo

S. Emerici Hungar. Ducis,
CONFESSORIS.

Missa: Os justi, primo loco.

Oratio.

Deus, qui beatum Emericum juvenili flore nitentem in Sanctorum tuorum consortium sublimasti: praesta, quaesumus; ut, quem tibi fecisti esse devotum, ejus apud te perpetuum sentiamus auxilium. Per Dominum.

DIE VI. NOVEMBRIS.

In festo

S. Leonardi Confessoris.

Introitus.

Psal. 36.

Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. ibid. Noli aemulari in ma-

lignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. **V. Gloria Patri.**

Oratio.

Deus, qui nos beati Leonardi Confessoris tui annua solemnitate lactificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. **Per Dominum.**

Lectio libri Sapientiae. Eccli. 45.

Dilectus Deo, et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram praecepta, et legem vitae et disciplinae.

Graduale. Psal. 20. Domine, praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. V. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi. Alleluja, alleluja.

V. Psal. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 12. c.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si

venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Offertorium. Psal. 88. Veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et praesentibus exui malis confidimus, et futuris. **Per Dominum.**

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Defecti cibo potuque coelesti, Deus noster: te supplices exoramus; ut, in cujus haec commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. **Per Dominum nostrum.**

DIE VII. NOVEMBRIS.

In festo

S. Prosdocimi Episc. Conf.

Missa: Sacerdotes tui, com. Oct.

DIE X. NOVEMBRIS.

In festo

S. Andreae Avellini Confess.

Missa: Os justus, primo loco.

Oratio.

Deus, qui in corde beati Andreae Confessoris tui per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum admirabiles ad te ascensiones disposuisti: concede nobis ipsius me-

ritis, et intercessione, ita ejusdem gratiae participes fieri; ut perfectiora semper exequentes, ad gloriae tuae fastigium feliciter perducamur. Per Dominum.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Mennae Martyris.

Missa: Laetabitur, Orationes ut in Missali 11. huj., Evang. ex 10. Augusti.

DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Leopoldi Confessoris.

Introitus. Psal. 36.



Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. ibid. Noli aemulari in malignantibus: neque zelaveris facientes iniquitatem. V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopoldum ex principatu et curis hujus saeculi immaculatum ad regnum coeleste traduxisti: concede propitius; tua clementia ita nos per haec temporalia dirigi, ut aeternae vitae consortes effici mereamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Eccli. 21.

Beatus vir, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, et perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale. Psal. 91. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini.

V. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Alleluja, alleluja.

V. Jac. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 19. d.

En illo tempore dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accepto regno: et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque lucratus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi: et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens, cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet de-

cem mnas. Dico autem vobis: quia omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

Offertorium. Psal. 88. Veritas mea, et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et praesentibus exui malis confidimus, et futuris. Per Dominum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo potuque coelesti, Deus noster: te supplices exoramus; ut, in cuius haec commemoratione percipimus, ejus muniamur et precibus. Per Dominum.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In festo

S. Gertrudis Virginis.

Missa: Dilexisti, de Communi Virg.
Oratio.

Deus, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem praeparasti: ipsius meritis et intercessione cordis nostri maculas clementer absterge; et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

In festo

S. Felicitatis Martyris.

Missa: Me expectaverunt, 2do loco, Or, Secr. et Postcom. propr. in Missali.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Chrysogoni Martyris.

Missa: In virtute tua, Or., Secr. et Postcom. ut in Missali.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In festo

S. Mauri Martyris.

Missa: In virtute tua, com. S. Petri Alex. Ep. M. Evang. Si quis vult.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

In festo

S. Valeriani Episc. Confess.

Missa: Sacerdotes tui.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

In festo

**S. Joannis a Cruce,
CONFESSORIS.**

Missa: Os justi, primo loco.
Oratio.

Deus, qui sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis et crucis amatorem exitium effecisti: concede; ut ejus imitationi jugiter inhaerentes, gloriam assequamur aeternam. Per Dominum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE II. DECEMBRIS.

In festo

S. Chromatii Episc. Confess.

Missa: Sacerdotes tui, Evang. Vos estis sal terrae.

DIE IV. DECEMBRIS.

In festo

S. Barbarae Virginis Mart.Missa: Loquebar, cum Or. seq.
Oratio.

Intercessio, quaesumus, Domine, beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae ab omni nos adversitate protégat: ut per ejus interventum gloriosissimum sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri per veram poenitentiam et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit.

DIE VII. DECEMBRIS.

In vigilia

**Immaculatae Conceptionis
BEATAE MARIAE VIRGINIS.**

(Ubi est concessa.)

Introitus.

Psal. 65.



Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animae meae.

Psal. ibid. Jubilate Deo omnis terra: psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.

V. Gloria Patri.

Non dicitur Gloria in excelsis.

Oratio.

Deus, qui Unigeniti tui Matrem ab originali culpa in sua Conceptione mirabiliter praeservasti: da, quaesumus; ut sua nos intercessione munitos, corde mundos facias suae interesse festivitati. Per eundem Dominum.

Et fit commemoratio Feriae.

Tertia Oratio de Spiritu Sancto.

Lectio libri Sapientiae. **Eccli. 24. c.**

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater

pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae, et virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elúcidant me, vitam aeternam habebunt.

Graduale. Prov. 9. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.

V. Psal. 86. Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.



Initium sancti Evangelii secundum Matthaeum. **Matth. 1.**

Biber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias

autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Offertorium. Cant. 6. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Secreta.

Munera nostra, Domine, apud tuam clementiam Immaculatae Dei Genitricis commendet oratio: quam ab omni originali labe praeservasti, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur. Qui tecum vivit.

Praefatio Communis.

Communio. Cant. 6. Quae est ista, quae progreditur quasi aurora surgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

Postcommunio.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui Immaculatae Conceptionis Genitricis unigeniti Filii tui festivitatem praevenimus; intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. **Per eundem Dominum.**


DIE VIII. DECEMBRIS.

In festo

**Immaculatae Conceptionis
BEATAE MARIAE VIRGINIS.**

Introitus.

Isaiae 61.

 audens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me, quasi Sponsam ornatam monilibus suis.

Psal. 29. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

V. Gloria Patri.

Oratio.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus; ut qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus intercessionis ad te pervenire concedas. **Per eundem Dominum.**

Et fit commemoratio Feriae.

Lectio libri Sapientiae. Prov. 8.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat, et flumina et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terrae: cum eo eram cuncta componens, et delectabar per sin-

gulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me! Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Graduale. Judith. 13. Benedicta es tu, Virgo Maria, a Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram.

V. Ibid. 15. Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Alleluja, alleluja.

V. Cant. 4. Tota pulchra es, Maria: et macula originalis non est in te. Alleluja.

In Missis votivis post Septuag., omissis Alleluja et **V.** seq., dicitur

Tractus. Psal. 86. Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

V. Ibid. Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.

V. Ibid. Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, alleluja.

V. Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Alleluja.

V. Tota pulchra es, Maria: et macula originalis non est in te. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 1. c.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et in-

gressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Credo. Quod dicitur per totam Octavam.

Offertorium. Luc. 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

Secreta.

Salutarem Hostiam, quam in solemnitate Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis Mariae tibi, Domine, offerimus, suscipe, et praesta: ut sicut illam tua gratia praevemente ab omni labe immunem profitemur; ita ejus intercessione a culpis omnibus liberemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Praefatio de Beata Maria Virgine. Et te in Conceptione Immaculata. Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

Communio. Gloriosa dicta sunt de te, Maria; quia fecit tibi magna, qui potens est.

Postcommunio.

Sacramenta, quae sumpsimus, Domine Deus noster: illius in nobis culpaevulnera reparent; a qua Immaculatam Beatae Mariae Conceptionem singulariter praeservasti. Per Dominum nostrum.

DIE IX. DECEMBRIS.

In festo

S. Syri Episcopi Confess.

Missa: Sacerdotes tui.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

In festo

S. Stephani Protomartyris.

Pro Commemoratione omnium Ss. Martyrum.

Oratio.

Deus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum commemo-

ratione laeticas: concede propitius; ut, quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Per Dominum.

Secreta.

Oblatis, quaesumus, Domine, placare muneribus: et intercedentibus sanctis Martyribus tuis, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum.

Postcommunio.

Haec nos communio, Domine, purget a crimine: et intercedentibus sanctis Martyribus tuis, coelestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

DIE XXX. DECEMBRIS.

In festo

S. Nicephori Martyris.

Missa: In virtute tua, Evang. Si quis vult.

Feria VI. in Parasceve.

Post Orationem pro Papa dicuntur pro reverendissimo Episcopo dioecesano sequentes Orationes.

Oremus et pro religiosissimo N. Episcopo nostro, ut Deus et Dominus noster, qui divina miseratione hujus Dioecesis onus humeris ejus imposuit, benignitatis suae illi gratiam largiatur, ne ponderis magnitudine oppressus, humanae fragilitatis imbecillitate deficiat.

Oremus.

V. Flectamus genua. R. Levate.

Deus, qui licet magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis: concede famulo tuo N. Episcopo nostro religiosissimo, sacris convenienter servire Mysteriis, atque in omnibus tua misericordia protégat, quem conscientiae suae reatus accusat. Per Dominum.

Post Orationem pro omnibus Episcopis, Presbyteris etc. dicitur Oratio pro serenissimo Imperatore.

Oremus et pro gloriosissimo Imperatore nostro N., ut Deus et Dominus noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, qua populum sibi commissum gubernet in omni justitia et sanctitate ad divinam gloriam et nostram perpetuam pacem.

Oremus.

V. Flectamus genua. R. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus aeterna potestate dominaris, respice ad Austriacum benignus imperium, ut et Imperator juste imperando, et populus fideliter obediendo ad gloriam tui nominis et regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent. Per Dominum nostrum.

Praeconium paschale.

Praeconium paschale: „Exultet“ Sabbato Sancto hac ratione concludetur:

Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos omnemque Clerum, et devotissimum populum una cum beatissimo Papa nostro N., et Antistite nostro N., nec non gloriosissimo Imperatore nostro N. quiete temporum concessa, in his paschilibus gaudiis assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Collecta pro Imperatore.

Omni Missae parochiali diebus tamen, quibus per rubricas licebit, adjungatur sequens Collecta pro augustissimo Imperatore, dicenda post

omnes alias Commemorationes de praecepto. Si celebratur Missa coram Sanctissimo Sacramento, tunc praemittitur Oratio de Sanctissimo, utpote dignior, et ultimo loco dicitur Oratio a Superioribus praescripta.

Oratio.

Quaesumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Imperator noster, qui tua miseratione suscepit Imperii gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus; et vitiorum monstra devitare, hostes superare et ad te, qui via, veritas et vita es, gratosus valeat pervenire. Per Dominum.

Secreta.

Munera, Domine, quaesumus, oblata sanctifica: ut et nobis Unigeniti tui Corpus et Sanguis

fiant; et Imperatori nostro ad obtinendam animae corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente usquequaque proficiant. Per eundem Dominum.

Postcommunio.

Haec, Domine, oblatio salutaris famulum tuum N. Imperatorem nostrum ab omnibus tueatur adversis: quatenus et Ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem; et post hujus temporis decursum ad aeternam perveniat haereditatem. Per Dominum.

Omni superioribus formulis et precibus pro augustissimo Imperatore variatione prohibita, ex Decr. S. R. C. 10. Febr. 1860.

Index Festorum,

Q U A E

IN HOC PROPRIO MISSARUM

CONTINENTUR.

Festa Januarii.

| | | |
|------------|--|---|
| Die XIV. | S. Hilarii Ep. Conf. et Doctor. | 1 |
| " XVI. | S. Titiani Episc. Conf. | 1 |
| " XXXI. | Translationis S. Marci Evang. | 1 |
| Feria III. | post Dom. Septuagesimae, Ora- tionis D. N. J. Chr. in monte Olivetis | 2 |
| Feria III. | post Dom. Sexagesim., Comme- morationis Passionis D. N. J. C. | 3 |

Festa Februarii.

| | | |
|-----------|---|----|
| Die III. | S. Blasii Episcopi Martyris | 5 |
| " VI. | S. Anastasiae Martyris | 6 |
| " VIII. | S. Juventii Episcopi Conf. | 6 |
| " IX. | S. Paulini Episc. Conf. | 6 |
| " XI. | Beatorum Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. | 6 |
| " XIV. | S. Zoili Confessoris | 7 |
| " XVI. | S. Julianae Virginis Martyris | 7 |
| " XVII. | Ss. Chrysanthiani et Soc. Mm. | 8 |
| " XIX. | S. Juliani de Bono Albergo C. | 8 |
| " XX. | S. Titi Episc. et Confess. | 8 |
| " XXIII. | S. Petri Damiani Episcopi Conf. et Eccl. Doctoris | 8 |
| " XXV. | S. Margaritae de Cortona | 8 |
| Feria VI. | post Cineres, Sacratiss. Spineae Coronae D. N. J. C. | 9 |
| Feria VI. | post Dom. I. Quadragesimae, Lanceae et Clavorum D. N. J. C. | 10 |
| Feria VI. | post Dom. II. Quadrag., Sacra- tissimae Sindonis D. N. J. C. | 12 |
| Feria VI. | post Dom. III. Quadrag., Sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C. | 13 |

Festa Martii.

| | | |
|-----------|---|----|
| Die III. | Ss. Agapis et Soc. Martyr. | 14 |
| " IX. | Ss. Cyrilli et Methodii Ep. Conf. | 14 |
| " XVI. | Ss. Hilarii Episc. et Soc. Mart. | 15 |
| " XXIV. | S. Gabrielis Archangeli | 15 |
| Feria VI. | post Dom. IV. Quadragesimae, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. | 16 |

Festa Aprilis.

| | | |
|-----------|--|----|
| Die III. | S. Abundii Episc. Conf. | 18 |
| " XI. | S. Leonis I. Pap. Conf. Eccl. Doct. | 18 |
| " XII. | S. Zenonis Episc. Martyris | 19 |
| " XVII. | S. Liberalis Confessoris | 19 |
| " XXII. | Inventionis Corporum Ss. Cantii et Socior. Martyrum | 19 |
| " XXVII. | S. Fidelis a Sigmaringa Mart. | 20 |
| " XXVIII. | S. Pauli a Cruce Conf. | 20 |
| Dom. III. | post Pasch. Patroc. S. Josephi Conf. | 22 |

Festa Maji.

| | | |
|----------|---|----|
| Die IV. | Ss. Floriani et Soc. Mm. | 22 |
| " XI. | S. Sigismundi Regis Mart. | 23 |
| " XIV. | Ss. Victoris et Coronae Mart. | 23 |
| " XVI. | S. Joannis Nepomuceni Mart. | 23 |
| " XVII. | S. Maximae Virginis | 24 |
| " XXI. | S. Felicis a Cantalicio Conf. | 24 |
| " XXIII. | S. Paschalis Baylon Conf. | 25 |
| " XXIV. | Beatae Mariae Virginis sub titulo: Auxilium Christianorum | 26 |
| " XXIX. | S. Maximi Episcopi Martyris | 27 |
| " XXX. | Inventionis Manus Dexteræ S. Stephani Reg. Hungariae Conf. | 27 |
| " XXXI. | Ss. Cantiani, Cantii et Cantia- nillae Fratrum Martyrum | 28 |

Festa Junii.

| | | |
|-----------|---|----|
| Feria VI. | post Octavam Ss. Corporis Christi, Sacratiss. Cordis D. N. J. C. | 28 |
| Die I. | S. Angelae Merici Virginis | 29 |
| " IV. | S. Quirini Episc. Martyr. | 29 |
| " V. | S. Francisci Caracciolo Conf. | 29 |
| " VI. | S. Bertrandi Patriarchae Aquile- jensis Confessoris | 31 |
| " VIII. | Commemorat. Ss. Vitalis et Variæ Mart., quor. Reliquiae in Cathed. Eccles. Labac. asservantur | 31 |
| " XVI. | S. Joannis Francisci Regis Conf. | 31 |
| " XVII. | Ss. Cyriacae et Muscae Virg. et Mm. | 31 |
| " XVIII. | Ss. Felicis et Fortunati Mart. | 32 |
| " XIX. | S. Nazarii Episc. Conf. | 33 |
| " XX. | S. Prothi Martyris | 33 |
| " XXI. | S. Aloysii Gonzagae Conf. | 33 |
| " XXII. | Ss. Achatii et Soc. Mm. | 34 |
| " XXIII. | S. Julianae de Falconieri Virg. | 34 |
| " XXV. | S. Guilielmi Abbatis | 34 |
| " XXVII. | S. Ladislai Regis Hungar. Conf. | 34 |
| " XXIX. | Commem. omnium Ss. Apostolo- rum in die Ss. Apostolor. Petri et Pauli | 34 |

Festa Julii.

| | | |
|----------------|--|----|
| Dom. I. Julii. | Fest. SS. Sang. D. N. J. C. | 35 |
| " III. | S. Nicetae Episcopi Confess. | 35 |
| " IV. | S. Udalrici Episcopi Confess. | 35 |
| Die V. | S. Vigili Episcopi Martyris | 35 |
| " VII. | S. Bonifacii Episcopi Martyris | 35 |
| " XI. | Commem. Vigiliae Ss. Hermago- rae et Fortunati Mart. | 35 |
| " XII. | Ss. Hermagorae Episcopi et For- tunati Diaconi Martyrum, Dioe- cesis Labacensis Patronorum | 36 |
| " XV. | Divisionis Duodecim Apostolor. | 36 |

Index

| | | | |
|---|---|--|---|
| Die XX. | S. Hieronymi Aemiliani Conf. 37 | Die III. | S. Josephi Calasantii Conf. 50 |
| „ XXI. | S. Camilli de Lellis Conf. 38 | „ X. | S. Gereonis et Sociorum Mart. 51 |
| „ XXIV. | S. Christinae Virg. Mart. 40 | „ XI. | S. Justinae Virg. et Martyr. 51 |
| „ XXVII. | S. Pantaleonis Mart. 40 | „ XII. | S. Maximiliani Episcopi Mart. 52 |
| | Festa Augusti. | „ XX. | S. Joannis Kantii Conf. 52 |
| Die II. | S. Vincentii a Paulo Conf. 40 | „ XXI. | Ss. Ursulae et Sociar. Virg. Mart. 53 |
| „ IX. | S. Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. Conf. 40 | „ XXII. | S. Fidei Virg. et Martyr. 54 |
| „ XI. | S. Christophori Mart. 41 | „ XXIV. | S. Raphaelis Archangeli 54 |
| „ XVI. | S. Rochi Confessoris 42 | „ XXXI. | S. Wolfgangi Episcopi Conf. 55 |
| Dom. infra Octav. Assumpt. B. M. V., S. Jo- | | | Festa Novembris. |
| achimii Conf. 42 | | Die III. | S. Justi Martyris 55 |
| Die XVIII. | S. Agapiti Martyris 42 | „ V. | S. Emerici Hungariae Duc. Conf. 56 |
| „ XIX. | S. Ludovici Tolosani Ep. Conf. 43 | „ VI. | S. Leonardi Confessoris 56 |
| „ XXI. | Ss. Donati et Soc. Mm. 43 | „ VII. | S. Prosdocimi Episc. Conf. 57 |
| „ XXVII. | Translationis Corporum Ss. Her- | „ X. | S. Andreae Avellini Conf. 57 |
| magorae et Fortunati Mart. 43 | | „ XIV. | S. Mennae Martyris 58 |
| | Festa Septembris. | „ XV. | S. Leopoldi Confessoris 58 |
| Die I. | S. Aegidii Abbatis 44 | „ XVI. | S. Gertrudis Virginis 59 |
| „ III. | Ss. Euphemiae, Dorotheae, The- | „ XXIII. | S. Felicitatis Martyr. 59 |
| clae et Erasmae Vv. Mart. 44 | | „ XXIV. | S. Chrysogoni Martyr. 59 |
| „ IV. | S. Rosaliae Virginis 45 | „ XXVI. | S. Mauri Martyris 59 |
| „ VI. | S. Joannae Franc. Fremiot Vid. 45 | „ XXVII. | S. Valeriani Episc. Conf. 59 |
| „ VII. | S. Anastasii Martyris 46 | „ XXIX | S. Joannis a Cruce Conf. 59 |
| „ IX. | Ss. Hermogenis et Fortunati Mm. 46 | | Festa Decembris. |
| „ XI. | S. Danielis Prophetae Conf. 46 | Die II. | S. Chromatii Episc. Confess. 59 |
| „ XII. | S. Pelagii Martyris 48 | „ IV. | S. Barbarae Virg. Martyris 60 |
| „ XIII. | Ss. Septem Dormientium Mm. 48 | „ VII. | Vigil. Immacul. Concept. B. M. V. 60 |
| Dom. III | Septem Dolorum B. M. V. 48 | „ VIII. | Immaculatae Conception. B. M. V. 61 |
| Die XVIII. | S. Josephi a Cupertino Conf. 48 | „ IX. | S. Syri Episc. Confessoris 62 |
| „ XXV. | B. Mariae de Socos, vel de Cer- | „ XXVI. | Commem. omnium Ss. Martyrum in die S. Stephani Protomartyris 62 |
| vellione Virg. 49 | | „ XXX. | S. Nicephori Martyris 63 |
| „ XXVI. | S. Gerardi Episcopi Martyris 49 | Feria VI. in | Parasceve. Orationes pro reve- |
| | Festa Octobris. | | rendissimo Episcopo dioecesano et augustissimo Imperatore 63 |
| Die I. | S. Remigii Episc. Conf. 49 | Praeconium paschale 63 | |
| „ II. | S. Juliani Martyris 49 | Collecta in Missa parochiali pro Imperatore . 63 | |



